
(Domenico Ventura)

EPISTOLA

PASTORALIS

AD CLERUM, ET POPULUM

AMALPHITANAE DIOECESIS



NEAPOLI
Ex Typographia Sapientiae
MDCCCXLIX.

DOMINICUS VENTURA

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS AMALPHITANUS

Collegio Canonicorum, utrique Clero, Ordinibus universis Civitatis, et Dioecesis

Gratia, Misericordia, et Pax a Deo Patre, et Christo Iesu Domino Nostro.

Vix biennium exegeram in praefectura Thermulensis dioecesis, cum ex Eo Nutu, qui divinam Voluntatem interpretatur, me ad Amalphitanam Sedem translatum esse intellexi. Illius tamen, quae prius mihi obtigerat, Sponsae memoriam gerens; quae sit populi illius Christianae pietatis integritas, qui incorrupti mores, quaeque erga me, licet immerentem, extiterint amoris, et obsequii significationes, nulla oblivione patiar deleri. Salve itaque, desponsata olim mihi Thermulensis Ecclesia, salve, Civitas, *cujus muri in oculis meis semper* (1); idque sies futurum mihi in dolore levamen, si tua voluntate, tuisque apud Deum precibus abeuntem Episcopum prosequaris. Verum hoc jacturae acerbitatem minuit, animosque addit, quod ad eam dioecesim regendam accitus fuerim, in qua tamquam in veteri domicilio Religio et Pietas vigent ac florent, imo ex ea per Orientales plagas longe lateque propagatae sunt, adeo ut cum selectissimarum mercium copia opibusque innumeris Christianae etiam Sanctitatis leges et documenta quamplurimae gentes acceperint. Et cui non nota Amalphitanorum celebritas terra marique parta, opulentia, quam Divus ipse Bernardus praedicat (2), subsidia denique apud dissitas oras inlata? Quibus cum accedant mira soli foecunditas, salubritas aeris, loci opportunitas, ipsaque coeli lux jucundissima; facile ad clamandum inducor: » Quam pulchra Tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! Ut valles nemorosae! ut horti

(1) Isa. 49. 16.
(2) Epist. ad Lothar. Imp. apud Ughell. Italia Sacra Tom. VII.

» juxta fluvios irrigui! ut tabernacula, quae fixit Dominus, quasi Ce-
» dri prope aquas (1)!

Verum ne ex hac humanarum rerum imagine nimis allici, ac fere abripi videar, et quia *non quaero quae vestra sunt, sed vos* (2); vos, inquam, solum, charissimi, quos mihi coelestis Pater tradidit commendavitque *portandos in sinu meo, sicut portare solet nutrix infantulum* (3); ad vos statim sermo quicunque meus convertetur. Quamvis autem Dioecesibus primum adjuvandis, tum Sacrorum Antistes renunciatus, Pastorale onus jam subierim; modo ad apertiorem campum transmissus, et cum majus virium mearum periculum pertimescam; fateor *turbatum est cor meum, et anxiatus super me spiritus meus* (4). *At levavi oculos meos in montem, unde veniet auxilium mihi* (5): et in firmam spem erectus sum, ab eo consecuturum esse adjutorium administrationis, qui honoris auctor fuit, daturumque virtutem, qui contulit dignitatem (6). Summa in Amalphitano populo Catholicae fidei integritas, laudanda morum consuetudo, aliaeque cogitationes me suavi quadam voluptate perfundebant. Ad gentem sanctam mittor, ad populum acquisitionis (7), ad eam utique Divinae vineae portionem, quae venientes super se imbres Divinae Benedictionis excipiet. Exultans idcirco, Domino messis benedico, quod me populo ad bene vivendum composito praeficiens, non levem delati muneris partem detractam voluerit. Paucis, in praesenti vos omnes allocuturus, me expediam: quoniam animum, qui sit erga vos, meum, magis rebus gerendis, quam per chartam, et atramentum vobis significandum esse velim.

A vobis igitur ex quibus Episcopi veluti corona contexitur, quique in praecipuam consilii sui partem adsciti estis, Amalphitanae Ecclesiae Senatus, Canonici omnes spectatissimi, plurimum praesidii mihi obventurum esse confido. Vestrum est suffulcire domum, corroborare Templum (8): qua in re perspecta mihi sunt vestra, neque vulgaria erga Ecclesiam istam merita, perspecti labores, illudque praeterea pacis, et concordiae studium, quo nihil est in humanis coetibus opta-

(1) Num. XXIV. 5. 6.
(2) II. Cor. 2.
(3) Num. 11. 12.
(4) Ps. CXLII. 4.
(5) Ps. CXX. 1.
(6) S.Leo Serm. 1. in Anniver.Assump. suae.
(7) I.Pet. II. 9.
(8) Eccli. L. 1.

bilius. Non me dominantem in Cleris (1), sed quasi unum in multis fratribus comperietis, qui non dignitatis ornamentum, sed perarduum opus respiciens, nil habebit antiquius, quam graves consiliarios, et amico more sibi adsessores nancisci.

Melioribus vos compellare nequeam verbis, Rectores Curatoresque animarum, quam si operarios vocem, portantes *pondus diei, et aestus* (2), *Pastores in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem Domini* (3). Quid excelsius, quid ad coelestem dignitatem propius est, quam si *multiformis gratia Dei* a vobis per Sacramenta dispensetur, si parvulis sanioris doctrinae lac praebeatis, levetis infirmos, consolemini pusillanimes, arguatis inquietos, et quotidiana flagrantissimae illius, quae Apostolos urgebat, charitatis exempla patefaciatis? Eja agite, dilectissimi, divini operis consortes, et iis omnibus inhaerentes, quae conditores Ecclesiarum Apostoli, quae Pontificum, et Conciliorum decreta animarum Rectoribus praeceperunt, ministerium vestrum honorificate (4).

Haec etiam monita Clerus universus ad se referat, cujus est Gratiae fontes aperire, criminum sordes abstergere, Judicis, Doctoris, ac Medici officium implere. Cogitent Confessarii, se Samaritani illius personam referre, qui in vulnus oleum ac vinum infundens lenitatem una cum asperitate conjunxit (5). Quia vero, e Patrum Aquisgranensium effatis, doctrina sine vita Clericum contemptibilem reddit, et vita sine doctrina inutilem facit (6), Ecclesiae doctrinas colere vos moneo, sacrisque literis animos adjungere, ne ignorantiae nota inuramini, quae cum in Laicis vix toleranda sit, in Ecclesiasticis viris, quorum labia custodire debent scientiam, nec excusatione digna esse videtur, nec venia (7). Illud denique revolvant Sacricolae omnes Divinae Scripturae oraculum quotidiana experientia comprobatum. *Sicut Sacerdos, ita et populus*, et populi mores, ac consuetudinem Levitici ordinis moribus, atque institutis consentire, et sibi veluti praenunciatum accipiant quod divina vox Ezechieli Prophetae intonuit: *Sanguinem ejus de manu tua requiram* (8).

(1) I. Pet. V. 3.
(2) Matt. XX. 12.
(3) Luc. II. 8.
(4) Rom. XI. 13.
(5) Gloss. Ordin. in Cap. X. Luc. V. 33.
(6) Conc. Aquisgran. An. 816. Can. 20. ap. Labbè.
(7) Concil. Rom. sub Benedicto XIII. an. 1725.
(8) Ezech. III. 20.

Verum Ecclesiastici ordinis dignitati,et incremento vel parum vel minimum consultum foret,nisi novellae arbores, ac plantaria Sacricolarum omni arte studioque excolerentur.Qui proinde in Amalphitano Seminario succrescitis,Alumni ac filioli mei dulcissimi, cogitationum mearum vires nullo non tempore excitatas sentietis,ut ad sanctissimas Religionis, pietatis,ac modestiae normas vita vestra exigatur; utque spectata vitae castimonia, selectae doctrinae laudibus cumuletur. Adamate politiores literas: gravioribus disciplinis intenti sitis: at *videte ne quis vos decipiat per philosophiam*, *et inanem fallaciam* (1). Quapropter vobis summopere cavendum est a levibus, ac repentinis studiis, de quibus tam multi veluti de laureola doctrinae gloriantur, sed studiorum soliditatem, quae germanae utique sapientiae procreatrix est, consectamini, memores illius effati—*Philosophia leviter delibata abducit a Deo*: *penitus hausta reducit ad eundem* — Hoc deinde vobis firmum sit in omni Theologiae ratione, ut morum innocentia, modestia in exemplum, orationis ardor praeluceant, et vocationis, qua vocati estis, indicio sint, ac praesidio. Porro vocationis ejusdem dedit me Deus speculatorem, atque custodem, deditque Apostolicam illam vocem, *a qua trepidabo* : *Manum cito nemini imponas* (2), ut, si quis non mihi vocatus videbitur tamquam Aaron, non sibi assumat honorem (3): utque ego delati inconsulto Sacerdotalis muneris culpam ab humeris meis avertam.

Qui arctum vivendi genus arripuistis, Religiosorum ordinum alumni, miram omnino varietatem et castrorum aciem ordinatam ostenditis, quibus instruitur Ecclesia Dei; absit ut coelestem Professionis vestrae sublimitatem ego parvipendam: absit ut immortalia quae ex religiosis hominum Familiis in rem Christianam extitere merita, vel paullulum ego diffitear. Gaudeo potius in Domino, quod id generis etiam subsidiis Dioecesim meam augere voluerit, et non Christianae pietatis tantummodo,sed clarissima perfectionis lumina in medio Amalphitanae Ecclesiae collocavit. Sed ne lumina ipsa extinguantur, totum perfectionis iter, Religiosi Sodales, dimetimini, charismata meliora aemulamini (4): *et qui ex adverso est*, *nihil habebit malum dicere de vobis* (5), animorum conjunctionem servate cum Clero etiam Saeculari, et Vineae Domini cultores unanimes felicius adlaborabitis.

(1) Coloss. XI. 8.
(2) I. Tim. V. 22.
(3) Haebr. V. 4.
(4) I. Cor. XII. 31.
(5) Tit. XI. 8.

Vias equidem duras (1) divinis consiliis obtemperantes custoditis, Virgines Deo devotae; et Angelicae puritatis odor, per firmissimas licet parietes, in fidelem populum, ac in foemineum praesertim sexum, effunditur. Unxit vos sponsus oleo suo, vestivit discoloribus, dedit armyllas, et torquem circa collum, et circulos auribus, et coronam in capite (2). Vos, spectaculum Deo, et Angelis, et hominibus, nocturnis diurnisque gemitibus apud Sponsum ipsum instate; neque exigua orationum vestrarum pars mihi desit Pastori vestro, quem vis curarum ingens heu nimis! a rerum divinarum contemplatione subducit.

Plurimum ad Dioecesis utilitatem valetis, qui primas in Civitate sedes, primosque Magistratuum gradus obtinuistis. In vestram vitam intuetur quotidie populus, idque facile sibi licere arbitratur, quod vestris exemplis roboratum, ac veluti sibi persuasum videt. Qui itaque vel nobilitatis, vel munerum, vel divitiarum splendore fulgetis, cavete ne id luminis tenebrae sint (3), neque peccandi vel facultas vel auctoritas ab exemplis vestris petatur. Ne vos fugiat humanam hanc, in qua supereminetis, societatem, viam esse ac veluti militiam, ex qua ad supernorum civium consortium, atque ad coronam perpetuo virentem evocabimur.

Nunc super vos omnes dilatatur cor meum, quoquot estis, omnium ordinum, conditionis, atque aetatis cives, filioli mei dilectissimi. Vobis id firmum sit, me non esse personarum acceptorem, et vestris necessitatibus imo, quoad fieri poterit, desideriis vestris obsecuturum. Magis ego Augustinum audiens, amari appetam quam timeri (4), et paternam vobis charitatem, mihi autem dociles, amantesque filiorum animos promitto.

Sed, ut haec vota ad exoptatum finem perducantur, supplices, filioli mei, ad Deum manus extollamus, atque apud Deum patrocinium, quo nihil validius, altissimumque refugium ponamus, Deiparam Virginem labis ab origine nesciam, quin et suffragatorem assertoremque fidei strenuum adhibeamus Andream Apostolum, cujus nomine, ac Tutela Civitas ista gloriatur, necnon et Coelites alios praestites nostros, ut exoratus Deus Dioecesi isti propitius adsit, et ingruentes Regnorum populorumque calamitates usque et usque prohibeat.

(1) Ps. XVI. 4.
(2) Ezech. XVI. 1.
(3) Matt. VI. 23.
(4) In Regula.

Admirandum quidem divinae largitatis pignus, ac munus alias insperatum nobis obtigit, cum Christi Vicarius, totoque orbe celeberrimus Pius IX. Pont. Max. hujusce Regni attigit oras, ibique humanissime consistere voluit. Oh si sciamus donum Dei! oh utinam tanto Hospite diutius frui liceat!

Verum, quae causae Eundem ab augustissima Pontificum Romanorum Sede deterruerunt, haud sine ingentibus lacrymis commemorandae sunt. Illum siquidem prae omnibus haec decet querimonia — *Filios enutrivi et exaltavi : ipsi autem spreverunt me* (1). Et proh dolor! qui contemptus! quae effraenata audacia, qui sacrilegi ausus! Huc denique, huc evaserunt viri mendaces, qui lupinam pellem occultantes ovium se velleribus obvolvebant, ut perditionis sectas in ipsam Ecclesiae arcem introducerent (2). Molliti erant sermones eorum super oleum, et ipsi fuerunt jacula (3), jacula, inquam, intento arcu ad nocendum parata, ut sagittarent rectos corde (4). Avertimus horrentes animos ex impiis ausibus, qui sacratam Pontificis Sedem impetierunt, atque ad vos conversi, filii dilectissimi, mentes vestras sedulo excitamus, ut quo homines abripiat procacissimae libertatis libido, vobismetipsis reputetis. Hae etiam calamitates vos manent, si illis rerum publicarum incrementis, quae Principes nostri promoverunt, minime acquiescatis, si majora in dies exagitetis, si debitae fidei ac subjectionis vincula dissolvantur. Hinc sapientissimas leges, quas Augustus Rex noster tulit, diligenter custodite: eum honore, atque obsequio prosequimini, ejusque ac Regiae totius Familiae ac Sobolis incolumitatem a Deo Rege Regum ac Domino Dominantium comprecamini.

At, ne ego supra modum gravatus sub pondere angelicis humeris formidando deficiam, obsecro vos, fratres, per Dominum Nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum (5).

Veniam autem quamprimum ad vos cum gaudio: veniam in charitate et spiritu mansuetudinis (6). Cujus auspicem vobis omnibus benedictionem ex toto animo interea impertior — In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti — Amen.

Dabam Neapoli XII. Kal: Maii. an. 1849.

(1) Is. I. 2.
(2) Clem. XI. in Bull. *Unigenitus* in Proem.
(3) Ps. LIV. 22.
(4) Ps. X. 3.
(5) Rom. XV. 30.
(6) I. Cor. 4.21.